

sponso et sponsae cum patena, an vero hoc in casu et in aliis similibus utendum sit instrumento pacis?

S. C. resp.: Pacem, dummodo adsit consuetudo, in casu dandam esse semper cum instrumento, nunquam vero cum patena.

Die 10. Januarii 1852.

(Anal. J. P. 1853 p. 1430.)

### STALLUM.

Vd.: *Sedes*; *Chorus*; *Praecedentia*.

### S. STANISLAUS E. M.

*Clemens PP. VIII.*

Cum s. Stanislaum e. m. in Cal. rom. referri ac de illo dupl. off. per universum orbem christianum a clero saec. et reg. eo die, qui ejusdem s. Martyris festo proximior nullo alio festo esset impeditus, celebrari jusserimus, cumque S. R. Congr. officium sic celebrandum ad diem 7. Maii ejusdem s. M. diem festum proxime praecedentem nullo alio festo impeditum adscribendum esse atque in eodem officio, quod erit de communi un. m., orationem et tres ll. de ipsius vita approbatas in 2. n. recitandas censuerit, Nos officium de s. Stanislao e. m. die 7. Maii ejus diei festo proxime praecedenti, quatenus nullo alio festo sit impeditum, celebrandum esse et in eo orationem et lectiones praedictas recitandas esse; si vero dies 7. Maii hujusmodi alio festo fuerit impeditus, in alium diem non impeditum juxta rubr. transferri debere tenore praesentium decernimus et ordinamus.

Datum Romae 1. Julii 1595.

(Bull. r. t. III. pag. 50.)

### S. STANISLAUS C.

Vd.: *S. Raymundus*.

*Ad dub.*: An in officio s. Stanislai Lorca C. sub ritu dupl. min. persol-

vendo ll. 1. n. esse omnino debent de script. occur., etsi ut plurimum apponantur illae de communi?

S. C. resp.: De scriptura. N. 5457 ad 2 die 29. Martii 1851.

*De ejus Canonis*. vd.: Bull. Benedictis XIII. prid. Cal. Jan. 1724. (Bull. r. t. X. p. 269); die 31. Decembris 1726. (Ibid. t. XIII. p. 265.)

### STATIONES.

#### 1) Basilicarum Romae.

*Stationum indulgentias per christifideles tam in Liberiana s. Mariae Majoris Basilica quam in Ecclesia s. Mariae in Dominica lucrari decernit*

*Pius V. servus servorum Dei.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, qui pro redemptione generis humani, de summo coelorum solio ad hujus mundi infima descendere et carnem nostram ex castissimo sanctissimoque utero gloriosissimae semperque Virginis Dei Genitricis Mariae assumere dignatus est, vices, licet immeriti, gerentes, basilicas et ecclesias in ejusdem B. M. V. advocatae nostrae honorem ac venerationem dedicatas spiritualibusque gratis et indulgentiis decoratas et praesertim insignes, quae nunquam satis venerari frequentarique possunt, non solum per amplius semper ornare, sed quae ab illis etiam translata esse reperiuntur, eis, favente Domino, restituere pie sancteque studemus, ut, quo frequentius christifideles eas visitaverint, per devotionis sinceritatem, redemptionis suae fructum facilius consequi et ad sempiternae gloriae beatitudinem feliciter pervenire mereantur.

§. 1. Cum itaque, sicut accepimus, alias felicitatis recordationis Leo Papa X., praedecessor noster, Ecclesiam s. Mariae in dominica de urbe, vulgariter

ad Navicellam nuncupatam, celebriorem reddere volens et ut eo libentius christifideles ad eam visitandam confluerent, quo majora spiritualia munera exinde si adipisci posse cognoscerent, quascumque stationum indulgentias et peccatorum remissiones, quae qualibet secunda dominica cujuslibet quadragesimae a romanis Pontificibus praedecessoribus nostris christifidelibus Basilicam S. Mariae Majoris de dicta urbe visitantibus concessae erant, ad eandem Ecclesiam s. Mariae in dominica apostolica auctoritate transtulerit illasque ipsis christifidelibus Ecclesiam s. Mariae in dominica hujusmodi in dicta secunda dominica quadragesimae, visitantibus, eadem auctoritate concesserit, prout in ipsius Leonis praedecessoris literis desuper confectis,

§. 2. Nos, bonum et christifidelium animabus salute esse simulque ad divini cultus honorem plurimum tenere existimantes, ne ipsa Basilica s. Mariae Majoris, quae quidem divina revelatione, ut pia historia legitur, erecta fuit et plurimis sanctorum reliquiis referta reperitur, suis solitis honoribus et visitationibus destituta remaneat, verum cupientes pro pastoralis nostri officio utramque, et Basilicam s. Mariae Majoris et Ecclesiam s. Mariae in dominica hujusmodi, dicta secunda dominica quadragesimae ab eisdem christifidelibus pariter visitari et devote frequentari, omnibus singulis utriusque sexus christifidelibus, qui secunda dominica quadragesimae, singulis annis, perpetuis futuris temporibus vel Basilicam s. Mariae Majoris vel Ecclesiam s. Mariae in dominica devote visitaverint et pias ibi ad Deum preces effuderint aliaque solita ad id requisita adimpleverint, praedictas et easdem stationum indulgentias et peccatorum remissiones consequantur et consequi possint, dicta auctoritate apostolica et de apostolica

potestatis plenitudine perpetuo concedimus et ita tam Basilicam s. Mariae Majoris, ut illae ipsae stationum indulgentiae in Ecclesia s. Mariae in dominica secunda dominica quadragesimae integre perpetuo remaneant, plenarie restituimus.

Non obstantibus ipsius Leonis praedecessoris translatione hujusmodi ac quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae die 12. Martii 1569.

(Bull. r. t. VII. p. 743. Ed. Aug. Taur.)

*Renovatio pontificalium capellarum in basilicis certisque almae urbis ecclesiis dominicis quadragesimae et adventus aliisque statis solemnibus diebus celebrandarum.*

*Sixtus PP. IV. servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.*

Egregia populi romani pietas, magnis sanctorum patrum laudibus celebrata, posteaquam terrarum princeps civitas, beatissimis apostolis evangelii lucem annunciantibus suave Christi jugum accepit et, per beati Petri sedem vere caput orbis terrae effecta, latius coepit praesidere potestate divina quam dominatione terrena, praecleara adhuc, singulari Dei benignitate, religiosae antiquitatis monumenta conservat, inter quae vetus admodum est ab apostolicis usque ducta temporibus sacrarum stationum consuetudo, in quibus fidelium multitudo ad apostolorum sepulchra et fortissimorum martyrum memorias conveniens, hymnis et cantibus spiritualibus Deum in sanctis suis mirabilem laudabat et salutaribus immaculatae hostiae sacrificiis placabat et adversus multiplices antiqui hostis oppugnationes, tamquam in castris Dei, statione tutissima consistebat.



§. 1. *Quam memoriam a majoribus acceptam nunc etiam Roma, antiquissimis urbis basilicis martyrum ecclesiis visitandis, statis dominicis aliisque solemnibus diebus, in primis vero sacro adventus Domini et quadragesimae tempore, magna populi frequentia, anniversaria celebritate devote observat.* Nos autem, quibus pro nostra pastorali sollicitudine nihil optabilius est quam animas Christo lucrari, tam pium ac salutare institutum non solum retinere cupimus, sed etiam ornare ac omni religionis officio propagare summopere studemus, his praesertim luctuosis christianae reipublicae temporibus, quae ad placandam Dei iram, ad detestabiles haereses extirpandas, ad pacem et tranquillitatem ecclesiae obtinendam, ad vitia et peccata hominum corrigenda, crebriora poenitentiae et pietatis opera ad multiplicatas sanctorum cum Christo regnantium preces et intercessionem maxime requirunt, sed potissimum sanctorum omnium reginae, Dei nostri Genetricis semperque Virginis Mariae, christiani populi advocatae, coeleste patrocinium desiderant.

§. 2. Et vero cum multis antiquis et religiosissimis ecclesiis, quas majorum pietas magnifice extruxit, haec alma urbs ornatissima sit, tum illae potissimum intra atque extra moenia positae septem basilicae, quas veteri instituto fideles pia ac salutaris peregrinatione obire solent, magnam, jure optimo, non solum apud cives sed apud externos populos venerationem habent; sunt enim antiquitate, religione, sanctorum martyrum venerandis reliquiis, sacris indulgentiis et denique mystica septenarii numeri ratione celeberrimae; nam quemadmodum Joannes apostolus admirabilem illam Apocalypsim septem Asiae ecclesiis scribens universam ecclesiam adumbravit, quam Deus coelestibus Spiritus

sancti donis perficit et in qua una habitat et requiescit, ita Romae septem ecclesiae magno ejusdem numeri mysterio sunt institutae, ut totius ecclesiae unio et perfectio in ipso capite, unde omnium ecclesiarum unitas dimanat, illustrius appareret.

§. 3. Quod cum ita sit, sane non possumus non dolere numquam fere nostris quidem temporibus, apud eas, una Vaticana excepta, pontificales capellas celebrari, cum tamen primariae illae urbis basilicae, toto terrarum orbe illustres, a summo romano Pontifice et sacro Cardinalium collegio ita interdum adiri deberent, ut ibi quoque divina missarum officia solemniter fiant; et ipsarum ecclesiarum majestas, in quibus divinae gratiae redundant, et pontificalis officii ratio et majorum nostrorum exempla id a nobis omnino requirere videantur. Notum est enim ex ecclesiasticae antiquitatis monumentis, veteres illos sanctissimos Pontifices praedecessores nostros in his basilicis frequenter admodum divina officia cum clero et populo obivisse, quod duorum beatissimorum Pontificum, quos ob sanctitatem et rerum gestarum gloriam merito magnos appellamus, Leonis et Gregorii sermones complures, divina quadam spiritus eloquentia pleni, inter ipsa missarum solemnia ad populum habiti, aperte declarant.

§. 4. Quare cum septem sint (paschali connumerata) quadragesimae dominicae et rursus quatuor illae adventus, cum natali, circumcisione et epiphania Domini, septenarium item numerum conficiant, in quibus omnibus celebratibus capellae in apostolico Palatio aut in basilica Vaticana de more fieri solent, decernimus, de consilio venerabilium fratrum nostrorum, verbo cum eis ea de re in consistorio nostro secreto mature facto, ad Domini et sanctorum gloriam et ecclesiarum ipsarum vene-

rationem ac fideles populi devotionem augendam, senectuti nostrae nequaquam parcentes, sed pastorali officii munus exequentes, tametsi gravissimis pro universae ecclesiae cura occupationibus distineamur, in eisdem basilicis solemnes missarum capellas facere uno ex S. R. E. Cardinalibus missam celebrante: idque, quotiescumque in eisdem basilicis capella pontificalis fiet, ritu perpetuo observabitur. Sermo item tempori accomodatus, ad divinas sanctorumque laudes praedicandas et audientium pietatem inflammandam, de more semper habebitur, ut, duplicato septenario numero, sacrosancta sacrificia et septem capitulum peccatorum veniam et septiformem sancti Spiritus gratiam christiano populo a Deo impetrent.

§. 5. Ad quas quidem venerandas basilicas ut commodius et decentius adiri possit atque ut in eis frequentius celebrandis populi religio augeatur, jam vias latas et discretas patefecimus.

§. 6. Caeterum, cum Ecclesia s. Sebastiani martyris, vetustissima illa quidem et religiosissima, cum, propter loci distantiam tum etiam angustiam aliaque incommoda, minus idonea sit ad pontificalium missarum celebrationem, decrevimus in ejus locum Ecclesiam s. Mariae, quae de populo dicitur, substituere, non solum amplitudine et loci commoditate opportunam sed magna etiam religione venerabilem. Saepe enim et pluribus locis ad sanctissimam illam gratiarum matrem et misericordiae parentem recurrendum est, ut ibi potissimum, ubi populi nomine insignata et ubi multa illius clementiae extant monumenta, precibus nostris invocata pro populo oret, pro clero interveniat et pro devoto foemineo sexu intercedat. Nec vero Ecclesiae s. Sebastiani sua privilegia et indulgentias adimimus, quae

etiam in altera septem ecclesiarum visitatione, quas pia multorum fidelium devotio lustrari solet, suo loco atque ordine permanebit. Sed Ecclesiae s. Mariae de populo easdem indulgentias concedimus, quemadmodum nec ulla stationum translatione aut mutatione in quadragesima sive in adventu ceterisque diebus quicquam detrahimus, sed gratias gratias cumulamus, ut apud plures ecclesias, majore pietatis zelo, Deo et sanctis ejus honor et cultus tribuatur. Ipsas vero pontificales capellas hoc ordine distribui volumus.

§. 7. In quadragesima: dominica prima ad s. Mariam de populo; secunda ad s. Paulum; tertia ad s. Laurentium extra muros; quarta ad s. Mariam Majorem; sexta in palmis ad s. Petrum; dominica Paschae ad s. Joannem in Laterano, ubi populo solemniter benedicemus. In adventu vero: dominica prima ad s. Laurentium; secunda ad s. Joannem; tertia ad s. crucem in Hierusalem; quarta ad s. Paulum; in Natali Domini ad s. Mariam Majorem ad Praesepe Domini, more antiquissimo, in Circumcisione Domini ad s. Mariam de populo; in epiphania ad s. Petrum.

§. 8. Praeterea, cum festi anniversarii dies advenerint sanctorum illorum, quorum nomine basilicae ipsae Deo dicatae sunt, apud eas pariter pontificias capellas faciemus; nimirum in assumptione beatissimae Virginis ad s. Mariam Majorem, de more, in ejus nativitate ad s. Mariam de populo; in inventione s. crucis ad s. crucem in Hierusalem; in natali s. Petri in basilica ejus Vaticana; in conversione s. Pauli in ejus basilica; in natali s. Joannis Baptistae in basilica lateranensi; in die festo s. Laurentii martyris in ejus basilica extra moenia. Missam item annunciationis beatissimae semper Virginis Mariae ejusque pontificalem capellam faciemus



apud Ecclesiam s. Mariae supra Minervam dotesque de more pro maritandis puellis distribuemus; in tribus vero celebritatibus, hoc est in die Ascensionis Domini, quo etiam die romanus Pontifex populo solemniter benedicit, item Pentecostes et omnium sanctorum pontificales Capellae fient in Basilica s. Petri, in die vero festo sacratissimi Corporis Christi post missam solemnem, quae de more in capella palatina habebitur, erit pontificalis processio et sacrosanctae Eucharistiae repositio in eadem basilica Vaticana; caeteris festis solemnibusque diebus missae in capella Palatii apostolici de more celebrabuntur.

§. 9. Ut igitur hunc sacrum solemnemque ritum pontificales capellas apud nobilissimas basilicas celebrandi sanctissimorum Pontificum praedecessorum vestigiis insistentes et venerandae vetustatis memoriam renovantes feliciter ac religiosius inchoemus quarta proxima feria in capite jejunii Ecclesiam s. Sabinae martyris non modo de more superiorum Pontificum adhibemus, sed Cardinali majore poenitentiario, ut mos est, missae sacrum faciente, unacum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus in eadem ecclesia consistemus sacrosque cineres, a nobis solemniter benedictos, supra capita ad poenitentiae testificationem spargemus ac deinde sequentibus dominicis diebus, ad basilicas et ecclesias supranotatas missarumque celebrationem, cum sacro Cardinalium collegio et aliorum Praelatorum praesentia, conveniemus; idemque suo tempore in adventu caeterisque diebus, Deo auctore, praestabimus; quem ritum statum atque solemnem et nos quamdiu, disponente Domino, vixerimus, perpetuo annis singulis observare statuimus et a successoribus nostris observari optamus ac sane etiam pro eorum pietate et rei condecentia speramus.

§. 10. Quod igitur ab omnibus christifidelibus acceptabili quadragesimae tempore, quod jam advenit, ubique terrarum faciendum est, ut in toto corde suo, in jejunio et lacrymis convertantur ad Dominum, id quidem Romae, ubi religionis est domicilium, ubi sacrarum indulgentiarum thesauri uberius dispensantur, ubi innumerabilem martyrum, quorum sacra corpora apud nos magno Dei munere requiescunt, peculiari patrocinio sublevamur, multo certe impensius et devotius faciendum est; atque, ut re ipsa fiat, pro nostra erga hanc almam urbem paterna et praecipua charitate, omnes in Domino etiam atque etiam hortamur, zelo incensae domus Dei, quam decet sanctitudo, satanae astutias non ignorantem.

§. 11. Illud quoque vehementius admonemus ut omnes et singuli stationales ecclesias cum omni timore, ut vere poenitentes, caste et pie ad-eant, nemini dantes ullam offensionem, ne illis in locis iisque diebus, quibus aliorum temporum culpa piis operibus et castis jejuniis redimendae sunt, inter ipsa martyrum sepulchra Deus ad iracundiam magis provocetur, sed contra potius hujus civitatis poenitentia, eleemosynis, orationibus sanctorumque intercessionibus placatus Pater misericordiarum Deus nobis et cunctis populis curae nostrae commendatis (omnes enim unum sunt in Christo) propitius et placabilis efficiatur et quorum fides apostolico ore laudata est et in universo mundo annunciat, eorum etiam modestia et disciplina et pietatis et sanctitatis exemplum omnibus nationibus proponatur.

Nulli ergo etc.

Datum Romae apud s. Petrum die 13. Februarii 1586.

(Bull. r. t. VIII. p. 663. Ed. Aug. Taur. 1863.)

Paulus PP. IV.

Restituit stationem, quae antiquitus habeatur in Ecclesia sanctorum Silvestri et Martini in Montibus de urbe.

Paulus IV. Episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Etsi ex injuncto nobis apostolatus officio singulas orbis ecclesias, quae domus Dei sunt, spiritualibus muneribus ornamus: decorem tamen earum, quae in hac alma urbe nostra consistunt, eo majori procuramus affectu, quo saepius ad illas, tamquam ante oculos nostros constitutas, dirigimus nostrae considerationis intuitum.

§. Sane ex diversis non vulgaribus scripturis accepimus quod antiquitus quinta feria quartae hebdomadae Quadragesimae, qua nostris temporibus statio in Ecclesia monasterii monialium s. Silvestri de Urbe, ordinis s. Clarae, habetur statio praedicta etiam in Ecclesia s. Martini in Montibus de eadem urbe, quae titulus Presbyteri Cardinalis existit et apud quam complures ordinis fratrum Carmelitarum professores, divina inibi celebrantes, ad praesens resident, publice habebatur, diversaeque christifidelibus ipsam Ecclesiam s. Martini dicta feria visitantibus concessae dicebantur indulgentiae et peccatorum remissiones.

§. 2. Quamobrem nos, qui juxta nostri pastoralis officii debitum, salutem singulorum paterna affectamus charitate, ad hoc etiam excitati per dilectum filium nostrum Diomedem, tituli ejusdem s. Martini in Montibus Presbyterum Cardinalem de Ariano nuncupatum, qui eidem Ecclesiae s. Martini in Presbyterum Cardinalem praeest et illam suis sumptibus et expensis non parum ornavit seu reparavit, omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones, eandem Ecclesiam s. Martini praedicta feria visitantibus concessas ratas et gra-

tas habentes atque approbantes et innovantes ac fidelibus praefatis suffragari debere decernentes, apostolica auctoritate, tenore praesentium, statuimus et ordinamus quod de caetero perpetuis futuris temporibus statio hujusmodi etiam in ipsa Ecclesia s. Martini dicta feria habeatur, itaut eandem ecclesiam feria praedicta visitantes omnes indulgentias et peccatorum remissiones praedictas consequantur et consequi possint. Non enim sperantes quod fideles praefati, ut suffragia eorundem ss. Silvestri et Martini consequantur in coelis, eorum ecclesias in terris visitare non gravabuntur, eosdem fideles hortamur et in Domino requirimus ut ecclesias ipsas dicta feria devote visitare et indulgentias ac remissiones praedictas consequi studeant, ut exinde, etiam ipsorum sanctorum precibus adjuti, salutem suam facilius consequi possint. Per hoc autem non intendimus eidem ecclesiae s. Silvestri in aliquo praedjudicare.

Nulli ergo etc.

Datum Romae apud s. Petrum die 25. Februarii 1559.

(Bull. r. t. VI. pag. 256. Ed. Aug. Taur. 1860.)

2) Indulgentiae.

Decretum S. Congregationis indulgentiarum sacrisque reliquiis praepositae.

Quamvis S. Congregatio indulgentiarum reliquiis praeposita, cui demandata est cura circa rectam et prudentem indulgentiarum administrationem usque ab anno 1696 interrogata, quae essent indulgentiae stationum plenariae, an partiales, dierum vel annorum, decreverit indulgentias stationales simpliciter enunciandas esse, non addendo an plenariae illae sint an partiales, attamen cum eidem s. Congregationi postmodum innotuerit, nonnullos etiam



ecclesiasticos viros atque ecclesiarum rectores allato decreto minime acquiescentes diversimode interpretatos fuisse indulgentias stationales, quarum elenchi typis editi mire inter se discrepantes in vulgus prodierunt; cumque inde relatum fuerit plurima originem duxisse inter fideles dissidia, abusus et scandala, hinc ut ista penitus amoveantur, utque Christi fideles scire possint, quid sibi indulgentiarum in hujusmodi stationibus obeundis concessum sit, sacra eadem Congregatio habita in Palatio Quirinali die Julii 1777 re praevio diligenti ac maturo examine discussa fuit in voto: „Consulendum Sanctissimo, praevia revocatione aliarum indulgentiarum pro concessione indulgentiae plenariae in aliquibus festis solemnibus: partialis vero in reliquis, ad normam earum, quae conceduntur in capellis pontificiis,“ videlicet:

*In Quadragesima:*

In feria IV. Cinerum et Dominica IV. indulgentiae quindecim annorum, totidem quadragenarum.

Feria V. in coena Domini plenaria.

Feria VI. in Parasceve et Sabbato sancto triginta annorum, totidem quadragenarum.

In reliquis tam dominicis quam feriis decem annorum, totidem quadragenarum.

*In Paschale Resurrectionis D. N. Jesu Christi:*

In Dominica indulgentia plenaria.

In duobus aliis festis immediate sequentibus et per totam octavam usque ad Dominicam in albis inclusive quotidie triginta annorum totidemque quadragenarum.

*Die Ascensionis:*

Indulgentia plenaria.

*In Pentecoste:*

In Sabbato ante Dominicam decem annorum totidemque quadragenarum.

In Dominica et aliis infra octavam diebus usque ad Sabbatum inclusive quotidie indulgentia triginta annorum totidemque quadragenarum.

*In Dominicis Adventus:*

In Dominica I., II. et IV. indulgentia decem annorum totidemque quadragenarum.

In Nativitate Domini Nostri Jesu Christi:

In vigilia, nocte ac missa aurorae indulgentia quindecim annorum, totidemque quadragenarum.

In die Indulgentia plenaria.

In subsequentibus tribus festis diebus et

In Circumcisione ac Epiphania Domini nec non

In Dominicis septuagesimae, sexagesimae et quinquagesimae indulgentia triginta annorum totidem quadragenarum.

In tribus feriis quatuor temporum decem annorum totidemque quadragenarum.

In festo s. Marci Evangelistae ac tribus feriis rogationem indulgentia triginta annorum, totidem quadragenarum.

Factaque de his omnibus per me infrascriptum ejusdem S. C. Secretarium relatione SSmo D. nostro in audientia die 9. Julii 1777 Sanctitas Sua S. C. votum benigne approbavit illudque cum novo indulgentiarum stationarium praeinserto elencho publicari mandavit non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae ex secretaria S. C. indulgentiarum.

Die et anno praefatae Audientiae.

L. Card. Calinus Praef.

J. M. de Somalia S. C. indulgentiarum secretarius.

(Anal. J. P. 1857 p. 2207.)

*Participatio indulgentiarum concessarum visitantibus stationes urbis favore eorum, qui utuntur diplomate „Cruciatae“ in regno Lusitaniae Brasiliarum et Algarbiorum.*

*Pius PP. VII.*

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Salus humano generi et de coelo oborta lux Christus in ara crucis (ut loquitur felicis recordationis Clemens VI. praedecessor Noster in extrav. *Unigenitus* de poenitentia et remissione) innocens immolatus non guttam sanguinis modicam, quae tamen propter unionem ad verbum pro redemptione totius humani generis suffecisset sed copiose velut profluvium sanguinis noscitur effudisse, volens suis thesaurizare filiis pius pater ut sic sit infinitus thesaurus hominibus, quem quidem thesaurum non in sudario repositum nec in agro absconditum, sed per beatum Petrum coeli clavigerum ejusque successores suos in terris vicarios commisit fidelibus salubriter dispensandum. Ad cujus quidem thesauri cumulum beatae Dei genitricis omniumque electorum a primo justo usque ad ultimum merita adminiculum praestare noscuntur.

§. 2. Quum igitur expositum nobis sit, plurimos e catholicis in regno unito Lusitaniae, Brasiliae et Algarbiorum degentibus opera studiose peragere, quae valent ad privilegia obtinenda pontificio — *Cruciatae* — diplomate consignata, in quibus illud est quoque ut certis sub conditionibus indulgentiarum participes fiant, quas obeuntibus stationes sacras hujus almae urbis adipisci conceditur; fuerit autem a Nobis suppliciter postulatum ut augeamus latiusque protendamus eas stationum indulgentias quarum in partem veniunt quicumque unito illo in regno diplomate — *Cruciatae* — juvantur; paterna charitate inducimur,

ut amplissima spiritualia emolumenta ac praesidia obvia illis esse velimus.

§. 3. Quapropter omnipotentis Dei in genus hominum misericordia et beatorum apostolorum Petri et Pauli auctoritate confisi omnibus ac singulis, quibus in illis regionibus pontificium — *Cruciatae* — diploma, eique juncta indulgentiarum stationum urbis communicatio suffragatur, dummodo illos de peccatis suis vere poeniteat et impositis ad earum indulgentiarum participationem conditionibus satisfaciant, plenariam indulgentiam poenarum, quas pro peccatis admissis debent, concedimus et elargimur diebus lucrifaciendam, qui sequuntur, videlicet: cunctis diebus dominicis adventus Domini nostri Jesu Christi, item in feria quarta sexta et sabbatho hebdomadae adventus, in quam incidit jejunium quatuor temporum; item in vespere Nativitatis Domini, et in tribus sacrificiis ipsius diei nativitatis itemque diebus tribus, qui nativitatem Domini subsequuntur, item die circumcisionis; item in Epiphania Domini, item dominicis diebus septuagesimae, sexagesimae et quinquagesimae; item in feria quarta cinerum diebusque reliquis jejunii quadragenarii usque ad sabbatum sanctum eo ipso sabbatho comprehenso; item die dominico resurgentis Domini usque ad diem dominicum, qui in albis dicitur, eo ipso die minime excepto; item in pervigilio Pentecostes, die Pentecostes diebusque insequentibus usque ad proximum sabbatum, eo ipso sabbatho comprehenso; item in feria quarta, sexta et sabbatho jejunii quatuor temporum, quod incidit in mensem septembris; denique die festo s. Marci Evangelistae. Haec futuris temporibus perpetuo valitura concedimus et indulgemus, non obstantibus constitutionibus et sanctionibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque.



Datum Romae apud s. Mariam Majorem die 4. Martii 1823.

## 3) Origo.

Statio saepe sumitur pro concursu populi ad ecclesiam indictam, in qua statis diebus processio clericorum ad stas preces faciendas consistebat. Vetustus enim in urbe ritus fuit, ut certis diebus clerus in unam aliquam ecclesiam supplicationis causa conveniret, ubi sacra fiebant aliaque divina officia peragebantur. Hi porro dies jejuniarum erant; unde solvere stationem idem erat, quod solvere jejunium; *Isidorus lib. 6. c. ult. Etymol.* Discernunt autem quidam inter jejunium et stationem: nam jejunium est indifferenter cujuslibet diei abstinentia non secundum legem, sed secundum propriam voluntatem: Statio autem est observatio statutorum dierum vel temporum, ut quartae et sextae feriae vel quadragesimae. *Et s. Ambrosius serm. 36.*: „Stationes vocantur jejunia, quod stantes et commorantes in eis inimicorum insidias repellimus“.

*Porro cleri romani processio in illas stationes duplex est, sollemnis aut privata. Haec fit, cum unusquisque privatim in locum indictum se recipit: sollemnis vero, cum sollemni more, decantando litanias aliaque preces, Pontifex alique omnes eo sese recipiant. Processiones sollemnes praecedunt collecta, id est coadunatio clericorum in una Ecclesia, ut ex ea, quasi agmine facto, in locum stationis procedatur: sic dicta, quod in eo loco clerus cum populo colligatur ad faciendam processionem sollemnem. Et quia in loco, ubi sit collecta, oratio super populum funditur ante processionem, inde fit, quod ejusmodi orationes etiam Collectae appellantur quoniam „super collectam populi fiunt, dum colligitur, ut procedat de una Ecclesia in aliam ad stationem faciendam“, ut loquitur*

*Micrologus in cap. III. Sic in capite jejunii illa oratio: concede quaesumus apud s. Anastasiam super collectam populi dicitur, qui stationem apud s. Sabinam celebraturus est. Sed ejusmodi collectae fiebant praecipue in quadragesima et in singulis triduis quatuor temporum, propterea quod illis diebus sollemnis processio celebrabatur; at quia forte privata erat aliis temporibus processio, nullae collectae assignantur in veteri indice collectarum et stationum, quem Mabillonius exhibuit tom. II. musei italici p. 544.*

Gregorius Magnus stationes antea vagas vel certis ecclesiis scripto non addictas in suo sacramentario constituit *ordinavitque per basilicas vel beatorum martyrum coemeteria*, testante Joanne Diacono in ejus vitae lib. III. cap. XVIII. Primitus vero stationes illae institutae fuerant vel ob sanctorum natalitia vel ob dies publicae processionis sive missae sacratori tempore celebrandae. Stationes ob sanctorum natalitia fiebant in eorum memoriis vel in coemeteriis, id est in ecclesiis super eorum tumulos constructis, quae ob id coemeteria quandoque appellantur. Hinc cum notissimae essent sanctorum festivitates et memoriae, non erat necessarium harum stationum diem et locum assignare in sacramentariis, in quibus quaecumque propriae sanctorum missae habebantur; publicas olim stationes exigebant. At vero stationes aliorum dierum, puta quadragesimae, quatuor temporum, adventus, natalis Domini, paschatis et similium, cum incertae essent, eas designari oportebat, ne qua oriretur dubitatio, ad quamnam ecclesiam esset procedendum ad publicam stationem. Unde Gregorius eas certis diebus in suo sacramentario addixit, ut a cunctis cognosci possent. Eas constituit passim in basilicis prae-

cipuis, scilicet patriarchalibus et titulis, aliquando tamen in diaconiis et oratoriis, ut in oratorio s. Pancrati, in quo idem s. Pontifex homiliam habuit. Gregorius II. supplevit vacantes aliquot quadragesimae dies, nempe in feriis quintis: quas stationes, ne repeterentur in titulis, in aliis ecclesiis statuit. Hoc est, quod significare voluit scriptor libri de gestis Pontificum his verbis: „Hic quadragesimali tempore, ut in quinta feria jejunium, id est statio atque missarum celebritas fieret, in ecclesiis (quod non agebatur) instituit. Attamen singulas quadragesimae ferias quintas ante Gregorium II. festivitates fuisse instar dominicae Micrologus auctor est in cap. I.

*Etsi autem fixae ac ratae essent in sacramentario stationes, eas tamen populo denuntiari mos erat. Id fiebat ab Archidiacono in publica missa praecedente. Postquam enim Pontifex communicaverit, veniebat „Archidiaconus cum calice ad cornu altaris et annuntiabat stationem“; quae verba leguntur in primo libello ordinis romani n. 19. Olim igitur ex primaevis romanis ordinibus post: Pax Domini etc. denuntiabatur ab Archidiacono, stante cum calice ad cornu altaris, statio futuri diei. Ita perhibet ordo romanus I. \*) et II. \*\*) Saeculo vero XII. haec denuntiatio fiebat ante communionem a Subdiacono regionario; ita docet ordo romanus Benedicti Canonici, ubi de ritibus in missa feriae IV. initii quadragesimae his verbis: „Ante communionem vero stat Subdiaconus regionarius juxta altare, dicens alta voce: „Crastina die veniente, statio erit in Ecclesia s. Georgii martyris ad velum aureum.“ Respondet schola: Deo gratias.*

Ad locum stationum deferebantur

\*) Num. 20.

\*\*) Mum. XIV. ord. rom. XI. n. 34.

ex Patriarchio Lateranensi vasa sacra, praeunte cruce stationali, de qua extat V. cl. Ciampinii pererudita dissertatio; Pontificem in sella gestatoria eo portari mos erat. Aliquando tamen equo vehebatur. Leo IV. instauravit „crucem auream, quae (ut mos antiquitus est, ait Anastasius) Subdiaconi manibus ferebatur, praedecessorum Pontificum“. Presbyteria etiam, id est, erogationes fiebant, tum ob ministrorum obsequia, tum ob laudes et acclamationes. Immo Pontifex quandoque in ipso itinere causas finiebat aut certe ad ejus nutum nomenclator et sacellarius, ut in primo ordine romano num. 2.

Stationum aliquod vestigium saeculis XIII. et XIV. perdurabat. Vide *Garampium in vita b. Clarae p. 555.* Nunc vero stationum nomine veniunt indulgentiae illae, quae certas ecclesias visitantibus conceduntur.

## 4) Viae Crucis.

Vd.: *Via crucis; Indulg. viae crucis.*

## STATUA.

Vd.: *Imago.*

## STATUS ECCLESiarUM.

*Exhibendus ab Episcopis, Archiepiscopis, Patriarchis etc.*

## Instructio

*Sacrae Congregationis Concilii pro Episcopis, Archiepiscopis, Primatibus et Patriarchis super modo conficiendi relationes statuum suarum ecclesiarum quas occasione visitationis sacrarum Liminum eidem S. C. exhibere tenentur.*

Summus Pontifex Sixtus Papa quintus, qui tempora statuit, quibus singuli Episcopi, Archiepiscopi, Primates et patriarchae per seipsos vel per eorum certum nuntium visitare tenentur